

Nec diversa mens est Du Pinio, qui ad antiquum Academiæ Parisiensis morem provocat, cuius collegium Theologicum lectiones injunxit Candidatis, quibus vel sacra Scriptura vel opus Magistri sententiarum explicaretur. Sperat idem ex ejusmodi exercitiis maximum fructum, nec dubitat, hac methodo judicium formari, juvenes ad quæstionum scrutinium excitari, faciliusque facundiam parari. Mihi videtur, ejusmodi consilia non penitus esse spernenda, observavi enim, probationes & objectiones facile etiam à junioribus syllogismo includi, nec improbo, si à juvenibus themata elaborentur, & quæ didicerunt, in ordinem redigerentur, calamoque exprimerentur. Sed omnia, quæ à Viris Clar. scripta sunt, eo non tendunt, ut omnes disputationes formales ex Scholis expellamus, quin potius ut earum abusum tollamus. Nemo eruditorum dixerit, artem logicam parum utilem esse juvenibus erudiendis. Id potius plerique fatentur, Logicam egregiam esse inventionem, quae ideas animo nostro obversantes distingvit, ratiocinia omnia ad certas classes reducit, vera à falsis dignoscere docet, omnesque meditationes in ordinem redigit. Sic neque syllogismorum usus in disputationibus reprehendendus erit, partim, quod opponens dubium perspicuo ratiocinio includat, idque thesi indicatæ opponat, partim, quod leges disputandi repetitionem argumenti respondenti concedant, qui tempus meditandi lucratur, quo solutionem promptius reddat, partim, quod uterque occasio nem publice loquendi nanciscatur. Illud quoque syllogismis rite connexis debemus, quod methodo geometricarum demonstrationum procedant, quæ à propositione ad propositionem progrediuntur, & ex præcedenti, quæ lucem præfert, sequentem deducunt. Nec facile disputantes sua dubia

C 2

per